scriptis, sed oretenus institui consue-
verunt, dum Actor intentionem suam
per verba congrua declarat, im-
plorando super jã administranda
judicis officium in hunc ferè mo-
dum, quando ad rei vindicationem
quis intendit. A 45. dist. 3.

Prudentissimè domine Consul, vosq; ce-
teri Senatores Amplis. Coram vobis
Titius proponit adversus Sempronium
& quamcunq; personam pro eo legi-
timè [a] in judicio comparentem, quod
indebitè & injustè teneat ac possi-
deat [b] fundum unum, fundo Lu-
cij in tali vel tali loco adhaeren-
tem [c]. Cui quidem fundus ad supra-
dictum Titium justo titulo, nempe hae-
reditatis pertinet. Cum a. toties monitus
fundum dictum praesens Sempronius Titio
restituere recuset, idq; in damnum illius
haud modicum: Ideo per vestram sententiam
definitivam declarari petit Titius, fun-
dum nominatum ad se pertinere, Sem-
proniumq; juris remedijs ad restituen-
dum talem fundum compelli. In his
finali justitiae V. P. sese submittit.
Et si huic petitioni Sempronius contra-
dicere voluerit, tunc petit Titius sibi ter-
minum pro consuetudine fori ad proban-
dum statui: se certis instrumentis de-
claraturum, aut alio modo probaturum
praedictum fundum haereditario jure
ad se pertinere. &c.

[a] Alieno nomine legitimè comparere de-
quilibet Procurator habens generale vel
speciale mandatum. l. 1. C. de Procur.
c. qui generaliter. ext. de Proc. in 6.

[b] Rem quam petis necesse est adversarius
teneat vel possideat: Nam rei vindica-
tionis duo sunt substantialia extrema: Do-
minium vel quasi ex parte agentis, l. in
rem actio. ff. de rei vind. Et possessio ex
parte rei conventi. l. officium. & l. is qui
destinavit. ff. de R. V. Et l. 1. C. de
alien. jud. mut. cau. fact.

[c] Res quae petitur, si immobilis est, de-
bet declarari per latera & confinia:
Si mobilis, per pondus, numerum,
qualitatem & colorem. l. si in rem.
ff. de rei vind.